



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio III. Vtrùm, & quomodò obliget Conscientia recta?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

fieri potest non solum à recta ratione, sed etiam à probabili, & errante invincibiliter: Secundò, sumitur prudentia pro judicio certo attingente objectum, prout est à parte rei: actio igitur moraliter bona dependet à prudentiâ primo, non autem secundo modo sumptâ, sicque nihil inde contra nos, ut consideranti patebit.

45. Respondeo secundò, majorem non esse universaliter veram, neque enim omnes actus virtutum dicunt dependentiam à prudentiâ; nam aliquando pendunt à judiciis de objectis universalibus, quæ non spectant ad prudentiam; & à judiciis speculativis de objectis particularibus; imò & ab apprehensionibus simplicibus, quæ similiter ad prudentiam non pertinent.

46. Dices: Aristoteles 2. *Ethicor. cap. 6.* ait, virtutem esse habitum electivum in mediocritate positum, eâ, quæ est ad nos, definitâ ratione, & ut definitur ipse prudens; ergo virtus semper à prudentiâ procedit, & dependet. Respondeo Aristotelem loqui de eo, quod per se loquendo congruum esset fieri, quod tamen non tollit, quominus per accedens oppositum contingat.

47. Argues 5. D. Paul. Rom. 2. 15. ait, opus bonum legis scriptum esse in cordibus, testimoniū reddente conscientiâ. Et Rom. 12. 1. monet, ut sit rationabile obsequium nostrum. Hoc idem judicat D. Aug. lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 8. apud P. Valent. cit. Et idem sentit D. Hilari. lib. 10. de Trinit. ibi: Immoderata est omnis pertinacia, ubi non rationi voluntas subijcitur: ex quibus omnibus videtur constare, opus bonum, & honestum dependere à ratione, sive conscientiâ rectâ; ergo &c.

48. Respondeo ex primo loco D. Paul. solum colligi, conscientiam reddere testimonium legis naturalis, cum cognitio legis naturalis sit homini insita, quo non obstante, adhuc conscientia sapè testificatur esse legem, quod à parte rei non est lex, quæ si sit inculpabilis, poterit regulare actionem studiosam, & honestam: neque opus est, quod testimonium conscientiæ, etiam contra legem naturalem, sit certum, sapè enim sufficit testimonium, sive actus intellectus non habens certitudinem, ut patet ex dictis. Ad secundum D. Pauli dicimus, solum ibi voluisse, quod omnes nostræ actiones, ad hoc ut cedant in obsequium Dei, debeant esse conformes rationi; non tamen est necessarium ut ratio ipsa sit recta, sed satis erit, si sit probabilis, aut inculpabiliter erronea, ut diximus. Ad testimonium Sanctor. Patrum eodem modo respondendum est. Imò etiam dici potest, D. August. locutum fuisse juxta mentem Philosophi, de quo proximè.

SECTIO III.

Utrum, & quomodo obliget Conscientia recta?

49. **D**ico 1. Conscientia recta non obligat, quando proponit res, quæ non sunt de præcepto, sed tantum de consilio, ut se habent vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ emittenda, in quibus, ut docet P. Soar. tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 2. cum D. Thom. & aliis, consistit essentialiter status religiosus. Probatur, quia hujusmodi bona, quæ solum sunt de consilio, solum à Deo approbantur, non tamen præcipiuntur, neque ad sui prosecutionem obligant; ergo neque sic obligabit conscientia recta, quando talia bona voluntati proponit.

Dico 2. Conscientia recta proponens voluntati legem, aut præceptum, obligat. Hanc magis supponunt, quam probent Theologi, expresse tamen illam tradunt D. Thom. q. 17. de Verit. art. 4. & in 2. dist. 39. q. 3. art. 3. Soncin. q. unica. Conclus. 6. & 7. Capreol. q. unica art. 1. conclus. 3. Cordub. lib. 3. q. 4. P. Soar. cit. d. 12. sect. 4. n. 1. P. Sal. cit. sect. 3. n. 13. & alii. Probatur primò, autoritate Scripturæ ad Rom. 14. ibi: Quod non est ex fide, peccatum est: id est, quod non est secundum conscientiam, ut constat ex ipso contextu, & ex omnibus ferè exppositoribus ibi apud Doctores citatos; ergo si non agere secundum conscientiam, est peccatum, conscientia obligationem inducit; siquidem omne peccatum est contra aliquam obligationem.

Probatur secundò ex illo ad Gal. 5. ibi: Testificor omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ legi faciendæ: nempe ratione conscientiæ; ergo &c. Confirmatur ex cap. Litteras, de Reslit. spoliar. cap. Per tuas de Simon. & cap. Inquisitioni de sent. excom. & cap. Virgo, 34. q. 1. ergo &c.

Probatur tertio ratione, quia quælibet lex, & præceptum superioris obligat subditos ad sui observantiam, cum primum est illis sufficienter propositum, & promulgatum, ut suppono ex materia de legibus; sed per conscientiam rectam de ipsis legibus, & præceptis ipsa sufficienter proponuntur voluntati; neque enim meliori modo proponi possunt, quam per conscientiam rectam; ergo hæc de illis habita voluntatem obligat. Adhuc tamen est:

Difficultas 1. Utrum conscientia recta obliget ratione sui: an solum ratione legis, aut præcepti, quod proponit? Prima sententia tenet, conscientiam obligare, etiam ratione sui. Ita Bassol. in 2. dist. 39. q. unica §. Sed quintum. August. cap. 7. Moral. dub. 3. P. Sal. cit. sect. 3. n. 13. & 31. & alii.

Secunda nihilominus sententia affirmat, conscientiam rectam non obligare ratione sui, sed ratione legis, aut præcepti, quod voluntati proponit. Ita D. Thom. q. 17. de Verit. art. 3. & 1. 2. q. 19. art. 5. D. Antonin. 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 4. Capreol. in 2. dist. 39. q. unica art. 3. ad 2. Duran. Cordub. lib. 3. q. 4. P. Soar. cit. sect. 4. n. 1. & 2. P. Vasq. 1. 2. d. 60. cap. 3. n. 12. Sylvest. in sum. verbo Conscientia q. 2. Perez. certam. 10. dub. 1. cap. 3. ad 1. §. Verum, & alii apud illos.

Probatur primò ex D. Thom. cit. de Verit. quia lex, & præceptum habent similitudinem cum ligamine; sed solum ligamen est, quod corporaliter ligat, licet non abique contactu, & applicatione ad corpus ligatum, cum talis contactus, & applicatio sit quædam conditio ad ligandum; ergo sicut ligamen est, quod solum ligat, dependenter tamen ab applicatione; ita etiam sola lex, & præceptum ligabunt, dependenter tamen à conscientia, ut ab applicante.

Probatur secundò, quia conscientia, quæ est de consiliis, & aliis bonis inferioribus non præceptis, non aliter conducit ad actus humanos, ut studiosi, aut pravi sunt, quam representando voluntati objectum honestum, aut pravam; ergo neque conscientia recta de præceptis, aliter conducet ad operationes, aut omissiones obligatorias, quam representando voluntati præcepta, & leges, quæ cadunt sub tales operationes faciendas, aut omitendas.

Probatur tertio, quia nullum datur fundamentum ad ponendam peculiarem obligationem in conscientia ratione sui; siquidem talis obligatio non est necessaria, cum sufficiat obligatio legis, aut

aut præcepti; ergo conscientia ratione sui non obligat, sed ratione solius legis, aut præcepti.

58. Confirmatur primò, quia virtus obligandi non convenit conscientiæ rectæ, quæ conscientia est, neque quæ recta est; alioqui omnis conscientia, aut saltem omnis recta induceret obligationem, quod tamen est falsum; ergo ei convenit, quatenus est conscientia recta de lege aliqua, aut præcepto; ergo lex ipsa, & præceptum, non autem conscientia, est radix obligandi in conscientia, quatenus per conscientiam proponitur voluntati; consequenterque conscientia ex se non habet vim obligandi. Secundò, quia si conscientia ex se haberet vim obligandi, aut talis obligatio foret naturalis, aut positiva generalis, aut specialis; sed nullum ex his concedi potest, ut ex dicendis constabit; ergo &c.

59. Obijcies 1. Conscientia ex D. Damascen. lib. 4. de Fide cap. 23. dicitur lex mentis nostræ; sed lex ex se habet vim obligandi; ergo & conscientia; sicque non solum obligat ratione legis, & præcepti, quod proponit. Respondeo cum D. Thom. 1. 2. q. 70. art. 13. D. Damascen. per conscientiam intellexisse synteresim, ex qua, ut à principio deducitur conclusio, quæ est conscientia in rigore; neque enim est novum, quòd nomina effectuum aliquando principiis accommodentur, & è contra. Undè ex prædicto testimonio nihil rectè infertur contra nostram sententiam.

60. Instabis: Synteresis habet rationem legis universalis; ergo & conscientia habebit rationem legis particularis; eadem enim videtur ratio de iudicio universali, ac de particulari. Respondeo conscientiam esse legem, non formaliter, sed in repræsentando, quatenus scilicet legem ipsam repræsentat.

61. Obijcies 2. Ut teneamur sequi conscientiam veram, non opus est proponere legem Dei, sed satis est, quòd aliquid repræsentetur ut turpe; sed tunc obligatio non oritur ex lege Dei apprehensa; ergo ex lege aliqua; siquidem ubi non est lex, neque prævaricatio; ergo ex ipsa conscientia, cum alia non detur. Respondeo, negando minorem; quando enim conscientia obligat, semper per illam repræsentatur aliqua lex, quæcumque illa sit.

62. Obijcies 3. Conscientia recta est regula, cui voluntas in operando tenetur conformari, ut omnes fatentur; ergo non solum ratione legis, quam proponit, sed etiam ratione sui obligat; alioqui, non conscientia, sed ipsa lex foret regula. Respondeo conscientiam esse regulam, & mensuram, non formaliter, sed repræsentativè, in quantum applicat regulam, & mensuram, proponendo voluntati bonum, vel malum, illud ut præceptum, hoc autem ut prohibitum, cui propriè actiones humanæ debent conformari.

63. Difficultas 2. Utrum qui peccat contra conscientiam rectam de uno tantum præcepto, aut lege, unum tantum peccatum committat? Affirmativè. Ita Doctores statim citandi. Probatur, quia peccatum non multiplicatur, nisi multiplicatâ violatione præceptorum, aut obligationum; sed qui peccat contra conscientiam rectam de uno tantum præcepto, solum facit contra unam obligationem; siquidem conscientia non inducit obligationem distinctam ab obligatione præcepti, quod proponit, ut diximus; ergo peccans contra conscientiam rectam de uno tantum præcepto, unum tantum committit peccatum.

64. Dubium tamen est: Utrum idem dicendum sit in sententia asserente, conscientiam rectam ex se obligare? Affirmativè. Ita P. Vâsq. 1. 2. d. 59. cap. 3. §. Alterum. Cordub. lib. 3. quæst. 4. dub. 1. P. Sanchez.

lib. 1. decal. cap. 11. n. 5. sine. P. Azor. lib. 2. cap. 8. q. 7. P. Sal. cit. sect. 3. n. 33. Pezant. 1. 2. q. 19. art. 6. d. 2. quæst. 1. Sayr. lib. 1. Clavi. cap. 4. dub. 4. num. 21. Perez. Certam. 10. dub. 1. cap. 3. & alii asserentes, unicam esse malitiam contra id præceptum, cuius juxta veram, aut erroneam conscientiam est transgressio. Probatur, quia nullum præceptum, nullaque virtus obligant, nisi mediante conscientia, quæ est proxima operandi regula; sed notitia præcepti, ac virtutis easdem obligandi vires obtinet, ac ipsum præceptum, ipsaque virtus; ergo peccans contra conscientiam, non peccat contra duas regulas, duasque virtutes, sed contra eandem sibi notam, & propositam; consequenterque unicam, & non duplicem malitiam contrahit.

Oppositum tenent Guilielm. Parisien. tract. de virtutibus, cap. penult. & Angest. cap. 3. Moral. cap. 3. circa 1. p. text. opinantur enim, duplicem esse malitiam quoties conscientia non errat, alteram contra conscientiam, & alteram contra præceptum, quod verè violatur. Fundantur primò, quia homo tunc operatur contra duplicem obligationem, alteram conscientiæ, & alteram præcepti in re existentis; ergo duplex datur malitia. Respondeo tunc aut unam tantum esse obligationem, ut diximus; aut si duplicem physicè, habere tamen subordinatorem, quatenus præceptum obligat mediante conscientia; sicque esse unam tantum obligationem moraliter; consequenterque unam malitiam.

Fundantur secundò, quia quando homo operatur contra conscientiam errantem, una tantum datur malitia, quia solum operatur contra conscientiam; sed hinc ultra operatur contra obligationem præcepti in re existentis; ergo duplex datur malitia. Respondeo 1. negando majorem, falsò enim supponitur ibi dari peccatum, quia fit contra conscientiam formaliter, & non quia fit contra præceptum existimatum verum. Respondeo secundò, unam tantum esse malitiam, quia obligatio conscientiæ, & præcepti moraliter est una, ut diximus.

Difficultas 3. Qualiter conscientia recta obliget? Conscientia recta obligat graviter, aut leviter, prout præceptum, aut lex, quam proponit, graviter, aut leviter obligant. Probatur, quia conscientia recta solum obligat, quantum obligant præceptum, aut lex, quam proponit, cum ex se nullam inducat obligationem, ut supra diximus; ergo si præceptum, aut lex graviter, vel leviter obligent, etiam conscientia recta sic obligabit.

Inferes 1. Ergo qui per unicam volitionem vellet committere omnia peccata venialia, solum venialiter peccaret. Respondeo cum probabiliori sententia concedendo illationem; nam cum actus internus nunquam habeat majorem malitiam, quam ejus objectum; objectum autem illius volitionis, nempe collectio, & multitudo omnium venialium opere consummata, solum habeat malitiam venialem, etiam desiderium illud committendi omnia venialia non erit peccatum mortale, nisi detur periculum committendi mortale. Ita P. Granad. 2. part. Controv. 6. tr. 2. d. 2. sect. 7. & cum eo Dian. 3. part. tract. 6. resol. 24. contra P. Sanchez. infum. lib. 1. cap. 5. num. 4.

Inferes 2. Ergo non peccaret mortaliter Religiosus habens animum violandi omnes suas regulas, & statuta, quarum qualibet non obligat sub mortali; siquidem tunc conscientia non ei proponit, nisi malitiam venialem. Respondeo concedendo illationem ob rationem assignatam, Ita P. Bard. discept. 7.

de Conscient. cap. 6. §. 6. num. 15. & videtur tenere Dian. 3. part. tract. 6. resol. 24. contra P. Sanchez, quem citat & sequitur P. Fragos. part. 2. lib. 11. d. 26. §. 9. num. 8.

70. Hinc est, quod religiosus non peccat mortaliter, licet perfectionem non querat, omittendo scilicet media, quæ inserviunt ad perfectionem, & solum obligant sub veniali, contra Sylvest. sum. verbo Religio, 1. quest. 12. ubi asserit in Religioso Sancti Dominici esse mortale velle transgredi omnia principalia statuta, quibus pervenitur ad perfectionem. Unde Religiosi solum tenentur sub mortali ad perfectionem consequendam ponendo illa media, quæ sub mortali obligant ex lege naturali, aut positivâ, ut se habent vota, & alia præcepta gravia. Ita D. Thom. & multi alii apud P. Sal. 1. 2. tract. 13. d. 16. num. 17.

71. Dices: Furta levissima solum proponuntur per conscientiam rectam ut obligantia sub veniali; & tamen si quis proponeret committere multa furta levissima, peccaret mortaliter; ergo conscientia recta proponens obligationem levem, quales sunt illæ, de quibus supra, obligat sub mortali. Respondeo negando majorem; neque enim furta levissima prout sic proponuntur, ut obligantia sub veniali, sed sub mortali, cum possint inter se uniri in unam quantitatem gravem, & sic graviter obligare, ut si filius proponat furari eodem die à suo patre viginti regales per viginti vices diversas, tale propositum erit peccatum mortale. Et ratio est, quia materia furti est capax unionis, ipsaque parva furta uniuntur, & sic faciunt materiam gravem graviter obligantem.

72. Hoc tamen intelligendum, nisi inter unum & aliud furtum leve multum temporis intercedat; tunc enim prædicta furta non uniuntur. Quantum autem temporis debeat intercedere inter unum & aliud furtum leve, ut inter se non uniuntur, neque faciant peccatum grave? P. Sanchez tomo 2. decal. lib. 7. cap. 21. n. 10. ait, spatium unius anni intercedens inter unum, & aliud furtum leve sufficere ut illa furta non uniuntur. P. Rebel. de iustit. p. 1. lib. 3. q. 15. sect. 4. num. 37. asserit continuari, licet spatio trium, aut quatuor annorum fiant. Dian. tamen part. 1. tract. 6. resol. 34. cum P. Fillii. tomo 2. tr. 31. cap. 10. num. 244. sentit, sufficere unum mensem, aut dimidium, ut furta levissima non uniuntur. Sed P. Reginal. tomo 2. lib. 23. num. 22. asserit, sufficere spatium unius mensis, hebdomadæ, diei, aut dimidiæ saltem diei, ut modica illa furta pro uno non reputentur. Immerito tamen.

73. Illud verò est certum, quod requiratur major quantitas ut detur peccatum mortale, quando furtum fit per modicam quantitatem, ut docent Navar. sum. cap. 17. num. 139. Grassi. 1. part. decis. lib. 2. cap. 93. num. 29. P. Rebel. cit. sect. 4. n. 34. P. Sanchez lib. 7. sum. tom. 2. cap. 21. num. 10. Unde Dian. part. 1. tract. 6. resol. 34. P. Sanchez, & P. Rebel. cit. requirunt ad hoc quantitatem duplo majorem, ita ut si filius furando simul, & semel duos regales cum dimidio, id est, *luem rosta*, peccat mortaliter, non ita mortaliter peccabit furando per partes, nisi postquam pervenerit ad quantitatem quinque regalium, id est, *dous rostoc*; sicque de aliis.

74. In furtis tamen circa comestibilia factis per filios, famulos, aut Religiosos, non ut vendant, sed ut comedant, dicendum est, quod non uniuntur, licet parum temporis intercedat inter unum, & aliud furtum leve, dummodò ipsa comestibilia sint ordinaria, nempe quæ non solent accuratè servari. Ita Navar. cit. cap. 17. num. 138. P. Less. lib. 2. de iust. cap. 12. dub. 8. num. 48. P. Reginal. cit. lib. 23.

cap. 1. num. 22. Dian. part. 1. tract. 6. resol. 34. & alii.

Advertes tamen primò, quod quando Conscientia recta, prout sic obligat in furtis levibus, solum obligat ad mortale, quando completur quantitas gravis per ultimum furtum leve, & homo illud committit cum advertentiâ ad alia præcedentia, ut cum P. Sanchez, P. Vasq. & aliis tenet P. Fagund. lib. 7. decal. cap. 13. num. 13. qui etiam addit num. 17. cum P. Sach. P. Rebel. quod fur in tali casu solum tenetur sub mortali restituere illud ultimum furtum leve; siquidem tunc quantitas illa, quæ remanet, jam est parva, sicque insufficiens ad inducendam obligationem gravem sub mortali.

Advertes secundò, in aliis materiis levibus, quæ non uniuntur, nunquam conscientiam rectam dicere dari ibi peccatum mortale, sicque non est mortaliter peccaminosa voluntas proferendi multa mendacia, aut iuramenta vera, sed absque necessitate; omittendi singulis festis parvam partem Missæ, aut Officii Divini; comedendi parvam quantitatem in diversis diebus jejunii. Idem dicendum, si quis voveret per integrum annum recitare semel singulis diebus *Ave Maria*; aut dare parvam elemosynam huic, vel illi pauperi pro libito elargientis; secus tamen si alicui determinato, qui promissionem acceptasset; tunc enim haberet jus ad magnam quantitatem, licet singulis diebus parva esset. Ita cum P. Sanchez. P. Vasq. P. Azor. P. Granad. tenet Dian. part. 3. tract. 6. resol. 24.

Advertes tertio, Conscientiam rectam, ut ex dictis colligitur, solum obligare, quantum obligat lex, quam ipsa conscientia proponit. Hinc est, quod si res furtiva apud furem perit casu, aut iusta hostium incurfione, consequenterque sine culpa ipsius furis, quæ tamen certo erat peritura apud dominum eodem modo, nulla datur lex obligans furem ad restitutionem, ut cum D. Thom. P. Less. & aliis docet P. Fagund. lib. 7. decal. cap. 17. ergo neque sic illum obligabit conscientia.

Unde si rapuisti vestes, frumentum, aut pecuniam ex domo Petri, & perierunt in manu tua casualiter, v. g. incendio, aut quia hostes in bello iusto ista à te abstulerunt, quæ tamen si essent in manu Petri similiter perirent, non teneris ad restitutionem: sicut etiam non teneris si incendiasti Petri segetes, quas paulò post inundatio erat everfura. Aliter tamen dicendum, si res non ita erat peritura apud Petrum: aut si erat peritura per injuriam alterius furis; siquidem tunc iste fur teneretur illam restituere; ergo si tu prævenisti, in te transfusa est obligatio.

Inferes: Ergo etiam fur non tenebitur ad restitutionem, quamvis res furtiva pereat apud illum sua culpa, & dolo, nempe si eam aut negligentia perdiderit, aut vastaverit, aut consumplerit. Respondeo concedendo illationem cum P. Less. P. Fagund. cit. dummodò talis res omnino apud dominum absque illius commodò & utilitate erat peritura, & manens apud furem periisset, etiam si culpa nova non intervenisset: siquidem tunc fur nullum domino infert damnum.

Hinc est, non teneri ad restitutionem, qui segetes incendit, quas statim videt ab aquis everendas; ut diximus: qui alienas merces absument, quæ statim erant projiciendæ in mare: qui equum alienum interficit, quem hostis statim erat abducturus; imò & qui Petrum occidit (licet peccet mortaliter) qui statim erat moriturus, aut per sententiam iustam iudicis, aut per morbum. Aliter tamen dicendum, si tu videns, quod navis peritura erat, aliquas merces

merces sustulisti, quas tamen conservasti; siquidem res ubicumque est, domini est. Imò idem dicendum, si res apud te perit, quia fuisti in mora, restituendi illam. Ita cum communi *P. Fagund. cit.* Unde ex his patet, quæ, & quanta sit obligatio conscientiæ rectæ.

SECTIO IV.

Utrum, & quomodo Conscientia recta debeat existere, ut obliget?

81. **A**DVERTENDUM est primò, actus voluntatis, & intellectus tripliciter dici existere, nempe formaliter, virtualiter, & habitualiter: explicatur exemplo intentionis, quæ requiritur in Sacerdote ad Confessionem, & ad Missam celebrandam, quæ etiam triplex est, nempe formalis, virtualis, & habitualis, quia tripliciter dicitur perseverare, nempe formaliter, virtualiter, & habitualiter; cum tamen sit idem actus; sic enim idem homo dicitur perseverare juvenis, & senex secundum diversa tempora.

82. Advertendum secundò, intentionem formalem dici illam, quæ formaliter durat, adhuc quando rem facimus, quam antea volebamus per talem volitionem, sive intentionem, quæ optima est ad recipiendam, & administranda Sacramenta; non tamen est necessaria, cum sufficiat virtualis: Hæc autem tunc datur, quando illa prior jam non durat in se formaliter, sed in aliquâ suâ virtute, aut effectu; sic volitio dicendi Missam causat aliam movendi pedes ad Ecclesiam, & hæc aliam induendi vestes sacras, sicque de aliis usque ad finem Missæ, in quibus illa prima intentio formalis dicitur perseverare virtute, appellaturque intentio virtualis.

83. Patet, nam sicut ignis physice causat hunc calorem, & hic calor alium calorem, in quo ignis dicitur perseverare ut in sua virtute, & effectu, licet jam nò duret; ita etiam una volitio causat aliam per causalitatem moralem, suadens scilicet voluntatem ad illam aliam volitionem eliciendam; eo modo, quo movet Petrum ad amorem Dei, qui ei suadet, ut Deum amet; ergo licet illa prior volitio dicendi Missam jam non duret in se formaliter, quia tamen ab illa pendent omnes aliæ actiones externæ, quibus fit Missa, dicitur talis prior volitio virtualiter permanere in illis ut in effectibus; & sicut consilium ad furandum dicitur manere in furto, quando hoc fuit causatum ab ipso consilio.

84. Advertendum tertio, intentionem habitualemente dari, quando illa prior volitio celebrandi Missam jam non durat neque in se, neque in aliquo effectu, eo quod omnes illius effectus jam cessarunt, non tamen fuit retractata, sicque quandiu per contrarium actum non retractatur, dicitur habitualiter permanere. Patet in volitione furandi, quam Petrus habuit heri; hæc enim quandiu durabat heri, dicebatur peccatum actuale; hodie verò, si Petrus per contrarium actum illam non retractavit dicens: *Nolo furari*: dicitur peccatum habituale, quandiu Deus illud non condonat. His positis.

85. Difficultas modò est: Utrum quando quis actu peccat contra conscientiam rectam, hæc debeat actu, sive formaliter: an potius virtute, seu habitu, existere? Prima sententia asserit, opus esse, ut conscientia, sive sit recta, sive erronea, actu existat, dum opus contra ipsam fit, ut culpæ imputetur, sicque neminem actu agere contra conscientiam rectam, nisi

quando illa actu existit, & durat hoc iudicium: *Hic & nunc datur obligatio missæ*: Unde secundum hanc sententiam non imputatur homini omisso Missæ, nisi quando conscientia, sive tale iudicium formaliter existit. Ita loquendo de conscientia erronea tenent *P. Azor. tomo 1. lib. 2. cap. 8. quæst. 12. P. Sal. cit. sect. 1. num. 7. P. Vasq. 1. 2. d. 60. cap. 3. fine.*

86. Fundantur 1. Homo non dicitur propriè agere contra conscientiam, nisi quando actu iudicat, se male operari; ergo si aliquando male operatur sine tali iudicio, non dicitur operari contra conscientiam, quam habet, sed quam posset, & deberet habere, & ex conscientia erronea culpabilis. Respondeo negando antecedens; homo enim dicitur peccare, & agere contra conscientiam rectam, non solum quando hæc actu, & formaliter existit, sed etiam quando solum existit virtualiter, ut ex dicendis constabit.

87. Fundantur 2. Ad hoc, ut homo dicatur agere contra conscientiam rectam, debet hæc aliquo modo existere; sed non sufficit, quod existat habitualiter; siquidem sapissimè, qui habent habitus conscientiæ rectæ, non peccant propter naturalem inconsiderationem: non virtualiter; falsò enim supponitur, quod sic existat; siquidem, ut intentio præcedens dicatur manere virtute, debet per aliquem effectum derivari, & perseverare; alioquin nihil refert, an longo, aut brevi tempore antea præcesserit talis intentio; Conscientia autem recta præcedens caret omni prorsus effectu, in quo manere dicatur; ergo ut homo dicatur agere contra illam, debet actu existere.

88. Respondeo negando minorem quoad secundam partem, licet enim ad hoc, ut quis peccet contra conscientiam rectam, non sufficiat, quod hæc habitualiter existat; satis tamen erit, si existat virtualiter, ut infra dicemus; ad hanc autem existentiam virtutem requiritur existentia alicujus, qui sit effectus ipsius conscientiæ, qualis effectus est, aut recordatio, aut quasi recordatio conscientiæ præteritæ, nempe apprehensio operis pravi continuandi, aut ut antea voluit, sive electi, aut ut jam inchoati, in qua notitia, non solum existit virtualiter prima illa intentio prava occidendi v.g. inimicum, aut furandi, sed etiam ipsa conscientia recta, quæ jam præterit.

89. Fundantur 3. Ad hoc, ut infidelis peccet contra conscientiam errantem, opus est, ut hæc actu existat; alioquin sequeretur, semel existentem ad operis bonitatem necessarium esse illud ad idolum referre, ipsum peccatum in omnibus operibus ex objecto honestis, quæ illius iudicii immemor efficeret, quod est absurdum; ergo etiam, ut peccet contra conscientiam rectam, opus erit, quod hæc actu similiter existat. Respondeo infidelem, qui ex ignorantia crassa putat necessarium esse ad operis bonitatem, illud referre ad idolum, non peccare in operibus ex se bonis, quia poterit multa efficere, non solum absque relatione actuali, sed etiam virtuali in idolum. Quod si opera bona in idolum referantur, saltem virtualiter, eo modo, quo diximus, huiusmodi opera erunt simpliciter prava, & contra Conscientiam, quam habere debuerat.

90. Fundantur 4. Non potest homo peccare, nisi voluntas peccatum, ut tale cognitum actualiter, amplectatur; sed omnis cognitio actu representans voluntati tale peccatum, est conscientia, quæ si sit cognitio iudicativa formaliter, aut virtualiter cum veritate, & certitudine, est conscientia recta, si verò talis non sit, spectabit ad aliquod ex aliis membris conscientiæ, de quibus supra; ergo quoties quis operatur contra conscientiam rectam, hæc debet